

13
P O R T V S
I C C I V S
I V L I I C A E S A R I S
D E M O N S T R A T V S

P E R

I O A N . I A C . C H I F F L E T I V M
P H I L I P P I I V . H i s p a n i a r u m R e g i s &
S e r e n i s s i m a e I n f a n t i s I S A B E L L A E C L A R A E
E V G E N I A E M e d i c u m C u b i c u l a r i u m .

Editio secunda, aucta & recensita.



A N T V E R P I A E ,
E X O F F I C I N A P L A N T I N I A N A ,
M . D C . X X V I I .

FRONTE EXILE NEGOTIVM,
ET DIGNVM PVERIS PVTES:
AGGRESSIS LABOR ARDVVS,
NEC TRACTABILE PONDVS.

Terentianus Maurus.

3

ILL^{MO} EXCELL^{MO}QUE
DOMINO
D. GASPARI DE GVZMAN
COMITI DE OLIVARES
DVCI DE SANLVCAR,
PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO
A CONSILIIIS STATVS ET BELLI,
CVBICVLARIORVM DECVRIONI,
REGIO EQVILI PRAEFECTO, ETC:



RAM Dunkercæ, in ex-
tremis hominum Mori-
nis, anno proximè cla-
pso, in comitatu Sere-
nissimæ Principis Do-
minæ meæ, cùm ipsa Portum Mardic-
cium (ante annos quinque, indicante

A 2 Ioan-

Ioanne Gamelio , detectum) armaret
 Classe Regiâ; cuius aspectu hostes territi,
 ipso etiam æthere militante , ventisque
 iactantibus nauigia inter decumanos flu-
 ctus , fusi sunt, & in fugam turpem con-
 uersi. Videbam per hoc Nauale , am-
 plum, profundum, tutum, multis sæcu-
 lis incognitum , & per Serenissimam
 ISABELLAM instauratum , Britannici
 Freti Imperium PHILIPPO IV. Regi
 Maximo Nepoti suo restitutum : è quo
 nempe inexpugnabili ceruicibus ho-
 stium munimento Naues Regiæ excur-
 siones faciunt in omne Oceani latus, Gef-
 foriaco & Zuino minitantur, nec non
 Rutupinis ostreis, imò & Orbi toti.

Portus Oceano pridem absorpti ve-
 tustatem solâ famâ iactabant accolæ. Ego
 verò dum anquiro propiùs , totumque
 littus

5

littus Morinorum circumspicio, nan-
ciscor, (per Militares æui Romani Vias,
& alia critiria) Portum hunc, illum ip-
sum esse ICCIVM, è quo Iulius Cæsar
cum classe plusquam octingentarum na-
uium in Britanniam soluit, Insulæ Freti-
que Britannici imperium sibi asseruit.
Cuius Imperatoris Romani vestigia,
multis oblitterata sæculis, subodorata
ISABELLA Heroïna nostra, (adstante
AMBROSIO SPINOLA Duce tot victo-
rijs inclyto) Nauale vndis sepultum de-
textit, opere & arte militari elaboravit,
Classem instruxit, hostes fudit.

Portus amplitudinem securitatem-
que dumtaxat admirati sunt qui vide-
runt. Ego prætereà proprium venerandæ
antiquitatis decus, genuinam Cæsaræ
nobilitatis laudem restituo illi Nauali,

sub auspicijs tuis, DVX EXCELLENTIS-
 SIME, vt hanc felicitatem eò maiorem
 indices Regi inuictissimo, quam Amita
 ISABELLA ipsi peperit. Video equidem
 Te, iussu naturæ, in graui luctu constitu-
 tum, ob vnicae Filiae tuæ recens & acer-
 bum funus: verùm in hac ærumnâ, quan-
 tumuis magnâ, (scio) non permittes tem-
 pestati nauem tuam; clauum tenebis, &
 magnis experimentis probatâ virtute tuâ
 vtêris. Solatia tibi non deerunt in Deo,
 in amicis, in exemplis. Fortassis & in hoc
 PORTV, quem offero, si vela contrahas,
 & paulisper conquiescas, dolorem tuum
 poteris demulcere: scilicet, post supremæ
 Aulæ munera, quæ obesse non solent,
 quò minùs liberè bonis faueas, litteratos
 mansuetè amplectaris. Hæc tibi mens,
 hoc consilium, à suauissimâ Pallade tuâ,
 sed

sed & à felicissimo Genio tuo : à quo ⁷ si
mihi vel tantillum lucis affulserit,

Attingam solium Iouis, & Caelestibus aequer.
Diu vale. Madriti Kalendis Augusti,
M. DC. XXVI.

devotissimus

Ioannes Iacobus Chiffletius.

Dvx

8

DVX primùm ITINERARIA OMNIUM RE-
GIONVM, quibus bellum geritur, debet habere
prescripta; ita ut locorum interualla, non solum pas-
suum numero, sed & VIARVM qualitates perdiscat,
per compendia, diuerticula, montes: flumina ad fidem
descripta consideret: usque eò, ut solertiores Duces
ITINERARIA PROVINCIARVM, in quibus ne-
cessitas gerebatur, non tantùm annotata, sed etiam
PICTA habuisse firmentur; ut non solum consilio men-
tis, verùm etiam aspectu oculorum VIAM profecturis
eligerent. Vegetius lib. 3. de Re milit. cap. 6.

9

PORTVVM MORINORVM,
ICCI, & GESSORIACI, per VIAS MILITA-
RES antiquadescriptio.



- | | |
|--|---|
| 1 Portus Iccius vltior, <i>Mardic.</i> | 9 Teruana, <i>Teroane.</i> |
| 2 Agger arenosus Portum ope-
riens, <i>le Banc.</i> | 10 Minatiacum, <i>Esferre.</i> |
| 3 Portus Iccius citerior, <i>Sitiu.</i> | 11 Virouiacum, <i>Vernic.</i> |
| 4 Promontorium Iccium, <i>Vaten.</i> | 12 Gessoriacum, <i>Bologne.</i> |
| 5 Æstuaria, siue Vada. | 13 Dubris, <i>Domure.</i> |
| 6 Castellum, <i>Cassel.</i> | 14 Rutupia, <i>Richborrow</i> , propè
<i>Sandwich.</i> |
| 7 Via Militaris ducens ad Portum
Iccium. | 15 Menapij. |
| 8 Aliz via Militares Antonino
memorata. | 16 Morini propriè dicti. |
| | 17 Oromanfaci. |
| | 18 Gessoriacus pagus. |

VIDEBIS

PORTVM QUIETISSIMVM OMNIVM,
QVOS AVT NATVRA POSVIT IN TVTELAM
CLASSIVM, AVT ADIVVIT MANVS:
SIC TVTVM, VT NE MAXIMARVM
QVIDEM TEMPESTATVM FVRORI
LOCVS SIT.

Seneca in Consolatione ad Marciam.

PORTVS ICCIVS
 IVLII CAESARIS
 DEMONSTRATVS
 PER IO. IAC. CHIFFLETIVM.

CAPVT PRIMVM.

Morini populi qui, & unde dicti : postremi Galliarum, & extremi hominum existimati : ultimi Gallorum à Casare bello petiti.



MORINOS, Galliae Belgicae fuisse populos, ex Caesare, Strabone, Plinio, Ptolemaeo, alijsque satis constat; & ex eo vel maxime, quod ipsi in prima omnium Belgarum contra populū Romanum coniuratione, xxv. millia armatorum pro communis patriae tuitione polliciti sunt. Guilielmus Camdenus antiquā Celtarum linguā sic appellatos contendit, quasi MARINOS, siue maris accolas: quia, inquit, mare Britannicē MOR vocatur: hinc qui maritimam Galliae regionem Angliæ proxi-

Caesar
 lib 2. Bel-
 li Gal.

In Britan-
 niā.

mam olim infederunt, Morini suâ linguâ dicebantur.

Lib. 3.

Vulgò tamen recepta est eorum opinio, qui à paludibus, quæ *Moeren* Belgis, Morinos dictos volunt, quasi *Moringos*, Belgicè *Moeringen*, paludanos, siue qui circa paludes commorantur. Et verè non solùm æuo Cæsaris *continentes silvas & PALVDES habebant*, sed hodieque non exiguas habent, quibus vocabulum commune *Moere*. Inter Neoportum, Dunkercam, Vinocibergam & Furnam, adhuc superest magna palus, vulgò dicta *Groote Moere*; aliæ item in Guinensi Comitatu, inter Caletum, Guisnas, & Ardeam; minores circa Ipras, & passim per Flandriam.

Continebat verò antiqua Morinorum prouincia, quidquid hodie diœcesibus Iprensi, Audomariensi, & Bononiensi comprehenditur; habebatque finitimos ab Oriente Menapios, à Meridie Atrebates & Neruios, à Septentrione & Occasu cingebatur Oceano. Hinc Vibio Sequestro, de Europæ gentibus, Morini dicuntur *Oceano iuncti*; Æthico in Cosmographiâ, *gentes Oceani Occidentalis*, Morinorum terram D. Paulinus^a *orbis extremam* vocat. Morini Pomponio Melæ^b *ultimi Gallicarum gentium* crediti: Plinio^c *hominum ultimi*. Cadurci, inquit, *Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimiq; hominum existimati Morini*, imò verò *Gallia vniuer-*

^a Epist. 2. ad Victoric.

^b Lib. 3. cap. 2.

^c Lib. 19. cap. 1.

uniuersa vela texunt. Virgilio *extremi hominum*, 8. Æn.
vbi dona populorum oblata Augusto triumphanti recenſet:

— *Euphrates ibat iam mollior undis,*

Extremiq; hominum Morini, Rhenuſq; bicornis.

Cerda ad illum locum, cùm Morini verè non ſint extremi terrarum, ἀγχιάλως interpretatur, hoc eſt *littorales*; eo modo quo ea quæ Homerus dixit πεί-^{Odyf. 4.}
ρα γαίης, *extrema terra*, Euſtathius ex Appione docuit eſſe τὰ πρὸς τὴν Νεῖλον θαλάσση, *qua ſunt vicina mari iuxta Nilum*. Quemadmodum & Æſchylo vrbs Canopus ἐχάτη χθονός, *terra ultima*:
Homero item Æthiopes ἐχάτοι ἀνδρῶν, *ultimi viro-*^{Odyf. 1.}
rum. & Hiſpanis pars quædam Gallæciæ Oceano proxima, *ſines terra*. Verùm ego Morinos *ultimos hominum* dictos puto, quaſi extremos reſpectu vr-
bis Romæ, in ipſo Romano Orbe, hoc eſt à Romanis cognito, domitoq; *quia* (vt inquit Dio) *primis Græcorum Romanorūque, ne eſſe quidem Britanniam compertum fuit*. Ooſtenda vrbs Morinorum ad Oceani fretum, triennali obſidione clara, Belgicè ſonat *finem ſiue terminum Orientis*. Solinus appoſitè: *Finis erat Orbis, ora Gal-*^{Cap. 35.}
lici littoris, niſi Britannia inſula qualibet amplitudine nomen panè Orbis alterius mereretur. Florus de Cæſare: *Quamuis toto Orbe diuiſa, ta-*^{Lib. 3.}

men qui vinceret habuit Britannia. Claudianus:

— *Nostro diducta Britannia mundo.*

Eumenius ad Constantium Imp. post recuperatam Britanniam à Carausij & Allecti tyrannidē: *Gloriare verò tu Casar inuicte, alium te Orbem terrarum reperisse.* Hegesippus de Claudio Imp. *In Romanorum nomen elementa etiam transierunt, in quos etiam transfuit Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur & definitur, denique à plerisque ORBIS ROMANVS appellatur. Nam si verum queramus, terra ipsa infra Romanorum Imperium est, super quam progressa Romana virtus ultra Oceanum, alterum sibi Orbem quasuit: & in Britannia remotâ à confinio terrarum, nouam sibi inuenit possessionem.* Denique insignis Poëta, apud Iosephum Scaligerum in Catalectis, de freto Britannico:

Qui nunc Oceanus GEMINOS interluit ORBES,

Pars est Imperij, terminus antè fuit.

Cæsar Gallis omnibus subactis præter Morinos, eos etiam bello aggredi voluit, legibusque Romanis subdere: res ei successit eo modo, quo ipse narrat, his verbis: *Eodem ferè tempore Casar, et si propè exacta iam aetas erat, tamen quòd omni Gallia pacatâ, Morini Menapijque, supercrant, qui in armis essent, neque ad eum umquam legatos de pace misissent; arbitratus id bellum celeriter confici posse, eò exercitum adduxit,*

duxit, qui longè aliâ ratione ac reliqui Galli bellum gerere instituerunt. Nam quòd intelligebant, maximas nationes, quæ pralio contendissent, pulsas superatasq; esse, continentisq; SILVAS ac PALVDES habebant, eo se suaq; contulerunt. Ad quarum initium siluarum cùm peruenisset *Caesar*, castraq; munire instituisset, neque hostis interim visus esset; dispersis in opere nostris, subito ex omnibus partibus silua euolauerunt, & in nostros impetum fecerunt. Nostri celeriter arma ceperunt, eosq; in siluas repulerunt, & compluribus interfectis, longiùs impeditioribus locis secuti, paucos ex suis desiderauerunt. Reliquis deinceps diebus *Caesar* siluas cadere instituit: & ne quis inermibus imprudentibusq; militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam quæ erat caesa, conuersam ad hostem collocabat, & pro vallo ad utrumque latus exstruebat. Incredibili celeritate, magno spatio paucis diebus confecto, cùm iam pecus atque extrema impedimenta à nostris tenerentur, ipsi densiores siluas perterrent; eiusmodi tempestates sunt consecuta, uti opus necessario intermitteretur, & continuatione imbrium, diutiùs sub pellibus milites contineri non possent. Itaque vastatis omnibus eorum agris, VICIS AEDIFICIISQVE incensis, *Caesar* exercitum reduxit, & in *Aulercis*, *Lexouisq;*, reliquis item ciuitatibus, quæ proximè bellum fecerant, in hibernis collocauit.

CAPVT I I.

*Prima Iulij Caesaris in Britanniam profectio è lit-
tore Morinorum, è quo breuissimus in Insulam
illam traiectus.*

POSTMODVM rebus in Galliâ prosperè gestis, Cæsar iterùm peruenit ad Morinos; indeque Oceanum respexit, & Britanniam, ad quam erat breuissimus ab illo littore traiectus. Classe igitur instructâ, vel vindictæ de Britannis, qui Gallis auxilia subministrauerant, sumendæ causâ accensus, (vt ipsemet, & Strabo;) vel Britannicarum margaritarum spe, quarum magnitudinem & pondus exigere solebat, illectus, (vt Suetonius;) vel gloriæ cupiditate flagrans, & orbe Romano non contentus, nouum cogitans (vt alij tradunt) anno ante CHRISTVM natum LIV. Britanniam aggressus est. Rogerus Baconus in libro de Arte & naturâ, fabulatur, Cæsarem, speculis in orâ Gallicâ dispositis, arteque catoptricâ, quæ species latentes multiplicat, portus & nauigationem explorasse. Verùm ad hæc cognoscenda (vt ipse scribit) C. Volusenum cum longâ nauî præmisit; mandauitque, vt exploratis omnibus rebus, ad se quamprimum reuerteretur. Interim ipse naues vndique ex finitimis

inis regionibus, & quam superiore ætate ad * Ve-
 neticum bellum fecerat classem, ad littus Morino-
 rum iussit conuenire. Ibi cùm nouarum nauium
 parandarum causâ moraretur, Morinorum ma-
 gnâ ex parte legati ad eum venerunt, qui se de su-
 perioris temporis consilio excusarent, quòd homi-
 nes barbari, & Romanæ consuetudinis imperiti,
 bellum Pop. Rom. fecissent, seque ea quæ ipse im-
 perasset, facturos pollicerentur. Hoc sibi satis op-
 portunè accidisse Cæsar arbitratus, quòd neque
 post tergum hostem relinquere volebat; neque bel-
 li gerendi, propter anni tempus, facultatem habe-
 bat; neque has tantularum rerum occupationes,
 sibi Britannix anteponendas iudicabat, magnum
 his numerum obsidum imperat: quibus adductis,
 eos in fidem recepit. P. Sulpicium Rufum lega-
 tum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur,
 P O R T V M tenere iussit. Tum contractis nauibus
 circiter LXXX. onerarijs, ad duas legiones trans-
 portandas, tertiâ ferè vigiliâ soluit, Equitesque in
 V L T E R I O R E M P O R T V M progredi, & naues a-
 lias XVIII. conscendere, ac se sequi iussit: ab qui-
 bus cùm paullò tardiùs esset administratum, ipse
 horâ circiter diei quartâ cum primis nauibus Bri-
 tanniam attigit: quo in itinere videtur non fuisse
 ultra horas quinque. Pugnatum hinc inde acri-
 C ter;

ter; Britannique prælio victi, legatos de pace ad Cæsarem miserunt, & obsides dederunt. Post diem quartum quàm est in Britanniam ventum, firmatâ pace, naues xviii. quæ Equites sustulerant, ex SUPERIORE PORTV leni vento soluerunt; quæ cùm iam in conspectu essent, tempestate in Occasum abreptæ, ægrè continentem Galliæ recuperarunt. Eâdem nocte accidit vt esset Luna plena: quæ dies, maritimos æstus maximos in Oceano efficere consuevit; vnde factum vt longas naues in aridum subductas æstus completeret, & onerarias ad anchoras deligatas tempestas ita affligeret, vt ad nauigandum omnino inutiles essent. Hinc Britanni, cùm iam Equites, naues, & frumentum Romanis deesse intelligerent, rebellionem fecerunt. Commisso iterùm prælio Cæsar hostes in fugam coniecit, plures occidit, & ædificia longè latèque incendit. Statim legati ab hostibus missi ad Cæsarem de pace venerunt: his Cæsar numerum obsidum, quem antea imperauerat, duplicauit, eosque in continentem adduci iussit: & quòd propinquâ die æquinoctij, infirmis nauibus, hiemis nauigationem subeundam non existimabat, ipse idoneam tempestatem nactus, paullo post mediam noctem naues soluit, quæ omnes incolumes ad continentem peruenerunt:

runt : ex his onerariæ duæ EOSDEM PORTVS, quos reliquæ, capere non potuerunt, sed paullò infrà delatæ sunt; quibus ex nauibus cùm essent expositi milites circiter CCC. atque in castra contenderent, Morinì, quos Cæsar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat, spe prædæ adducti, primò non ita magno suorum numero circumsteterunt, ac si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt; cùm illi orbe factò sese defenderent, celeriter ad clamorem, hominum circiter millia VI. conuenerunt: quâ re nuntiata, Cæsar omnem ex castris equitatum suis auxilio misit. Interim milites Cæsarì impetum hostium sustinuerunt, atque ampliùs horis quatuor fortissimè pugnauerunt, paucisq̃ue vulneribus acceptis, complures ex ijs occiderunt. Postea verò quàm equitatus in conspectum venit, hostes abiectis armis terga verterunt, magnusq̃ue eorum numerus est occisus. Cæsar postero die T. Labienum Legatum cum ijs legionibus, quas ex Britannia reducerat, in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit: qui cùm propter siccitates paludum, quò se recipere non haberent; quo perfugio superiore anno fuerant vsi; omnes ferè in potestatem Labieni venerunt. At Q. Titurius & L. Cotta Legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus

eorum agris vastatis, frumentis succisis, ædificiis-
 que incensis, quòd Menapij omnes se in densissi-
 mas silvas abdiderant, ad Cæsarem se receperunt.
 Cæsar in Belgis omnium legionum hiberna
 constituit. eò duæ omnino ciuitates ex Britannia
 obsides miserunt, reliquæ neglexerunt. His rebus
 gestis, ex litteris Cæsaris, dierum xx. supplicatio
 à Senatu decreta est.

C A P V T I I I.

*Altera Cæsaris cum magnâ classe in Britanniam ex-
 peditio, è COMMODISSIMO PORTV Mo-
 rinorum ICCIO.*

Cæf. lib. 5.

DISCEDENS ab hibernis Cæsar in Italiam,
 legatis, quos legionibus præfecerat, impera-
 uit, uti quamplurimas possent hieme naues ædifi-
 candas, veteresque reficiendas curarent. Earum
 modum formamque demonstravit; ad celerita-
 tem onerandi, subductionesque, paullo fecit hu-
 miliores, quam quibus mediterraneo mari uti
 consuetum esset; atque ideò magis, quia propter
 crebras commutationes æstuum, minùs magnos
 ibi fluctus fieri cognouerat: ad onera, & ad mul-
 titudinem iumentorum transportandam, paullo
 latiores, quam quibus in reliquis vterentur mari-
 bus:

*Al. cod.
 magis
 magnos*

bus: has omnes ACTVARIAS (hoc est, *qua remis
agerentur*, teste Liuius) imperavit fieri; quam ad Lib. 38.
rem humilitas multum adiuuat.

Constitutis deinde in Italiâ rebus, conuenti-
busque peractis, in citeriorem Galliam reuersus
est Cæsar, atque inde ad exercitum profectus. Eò
cùm venisset, circuitis omnibus hibernis, singula-
ri militum studio, in summâ rerum omnium in-
opiâ, circiter DC. eius generis, cuius suprà for-
mam demonstraerat, naues, & longas XXVIII.
inuenit instructas; neque multum abesse, quin
paucis diebus deduci possent. Collaudatis militi-
bus, atque ijs qui negotio præfuerant, quid fieri
vellet ostendit; atque omnes ad PORTVM IC-
CIVM conuenire iussit, *quo ex portu commodissi-
mum in Britanniam traiectum esse cognouerat, circiter
millium passuum XXXX. à continenti*: huic rei, quod Al. cod.
XXX.
fatis esse visum est militum, relinquit. Inde cum
legionibus expeditis quatuor, & Equitibus DCC.
in Treuirorum tumultuantium fines excurrit;
apud quos constitutis rebus, iterùm ad PORTVM
ICCIVM cum eisdem legionibus peruenit: ibi cog-
nouit naues XL, quæ in Meldis factæ erant, tem-
pestate reiectas tenere cursum non potuisse, atque
eòdem vnde erant profectæ relatas; reliquias para-
tas ad nauigandum, atque omnibus rebus instru-

Etas inuenit. Eòdem equitatus totius Galliæ con-
 uenit, numero millium *iv*. Principesque ex om-
 nibus ciuitatibus: ex quibus perpaucos, quorum
 in se fidem perspexerat, relinquere in Galliâ, re-
 liquos obsidum loco secum ducere decreuerat,
 quòd absens motum Galliæ verebatur. Erat vnà
 cum ceteris Dumnorix Æduus, rerum nouarum
 cupidus & imperij, magni animi, & magnæ inter
 Gallos auctoritatis: ille precibus omnibus à Cæ-
 sare petere contendit, vt in Galliâ relinqueretur,
 partim quòd insuetus nauigandi mare timeret,
 partim quòd religionibus sese diceret impediri.
 Posteaquã id obstinatè sibi negari vidit, omni spe
 impetrandi ademptâ, Principes Galliæ sollicitare,
 seuocare singulos, hortarique cœpit, vt in conti-
 nenti remanerent; metu territare, non sine causâ
 fieri, vt Gallia omni nobilitate spoliaretur; id esse
 consilium Cæsaris, vt quos in conspectu Galliæ
 interficere vereretur, hos omnes in Britannia
 transductos necaret. Sic impeditis omnium ani-
 mis Dumnorix cum Equitibus Æduorum à ca-
 stris, insciente Cæsare, domum discedere cœpit:
 quâ re nuntiatâ, Cæsar profectioe intermissâ, at-
 que omnibus rebus postpositis, magnam partem
 equitatus ad eum insequendum misit, retrahi que
 imperauit; si vim faceret, neque parêret, interfici
 iussit;

iussit; nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitratus, qui præsentis imperium neglexisset. Ille autem reuocatus, resistere, ac se manu defendere, suorumque fidem implorare cœpit: sæpè clamitans liberum se, liberæque ciuitatis esse: illi, vt erat imperatum, circumstant, & hominem interficiunt, at Ædui Equites ad Cæsarem omnes reuertuntur.

His rebus gestis, Labieno in continente cum tribus legionibus Equitumque millibus duobus relicto, vt PORTVS tueretur, & rei frumentariæ prouideret, quæque in Galliâ gererentur, cognosceret, & consilium pro tempore & pro re caperet; ipse cum legionibus quinque, & pari numero Equitum, quem in continente reliquerat, ad Solis occasum naues soluit, & leni Africo prouectus, mediâ circiter nocte, vento intermisso, cursum non tenuit, & longiùs delatus æstu, ortâ luce, sub sinistrâ Britanniam relictam conspexit: tum rursus æstus commutationem secutus, REMIS contendit, vt eam partem Insulæ caperet, quâ optimum esse egressum superiore ætate cognouerat, quâ in re, militum virtus admodum laudanda fuit, qui vectorijs, grauibisque nauigijs, non intermisso REMIGANDI labore, longarum nauium cursum adæquauerunt. Accessum est ad Britan-

niam,

niam, omnibus nauibus, meridiano ferè tempore, (sexdecim circiter horis itinere emenso) neque in eo loco hostis est visus; quia (vt postea Cæsar ex captiuis comperit) cùm magnæ nauès eò conuenissent, multitudine nauium Cæsar's perterritæ, quæ cum annotinis, priuatisque, quas sui quisq; comodi causâ fecerat, ampliùs DCCC. vnà erant visæ, timore à littore discesserant, ac se in superiora loca abdiderant. Quæ in Britannia exinde egerit, fusè persequitur Cæsar: nos in PORTU ICCIO, Geographis hæctenus incomperto, hærebimus; eumque per Militares Vias, & alia critica, demonstrare conabimur.

C A P V T I V.

De Portu Jccio Julij Casaris, quâ parte littoris Morinorum olim situs fuerit, varia opiniones.

ICCIVM portum, & Icium promontorium, Ptolemæo Ἰκίων ἄκρον, contendit Goropius Becanus dictum à Cimbrico IC SI, quod est, ego video; vel quia, inquit, diligenter pharus illa, quam Aumanum vocant, id est antiquum monitorem, nautis esset inspicienda; vel quia ex hoc monte Britannia clarè cerneretur. Scrickius Issium portum scribit, quasi Isspoort, quod est Belgis portus ad insulam, scilicet
 Albio-

Albionem. Ioannes Iucundus Veronensis *Itium* legit (vt Strabo Græcè Ἰτιον) deducitq; ab *itando*, seu *eundo*. In manuscripto Cæsaris codice bibliothecæ S. Ioannis Morinensis apud Ipras, reperi *Iticium*, in alijs plerisque *Iccium*, & *Jcium*. Ad *Jcium* lepidè alludentes aliqui, pro *Caletto*, *Calitium* dixerunt, vt voce vnicâ *populos Caletes*, & *portum Itium* simul complecterentur. In eâ sententiâ fuit Remondus Marlianus in Indice ad Cæsarem: *Iccius portus*, ait, *inter Belgas Morinis Oceanoq; mari finitimus est; Ambianis & Atrebatibus proximus; à continenti Britannia, quam Angliam dicimus, xxx. millibus passuum distans, & traiectui commodissimus, cui ad dexteram Zelandia insula, Hollandia, & Flandria; ad sinistram autem Comitatus, qui dicitur Pontus, Picardie pars, & Normannie Ducatus; ex opposito verò Anglia, consistunt. Oppidum est illic populorum, quibus Caletum nomen est; id adiecto Jccij portus nomine, vt quibusdam placet, Calitium nuncupatur.* Marlianum secuti sunt Meyerus, Vigenereus, & plerique alij. Verum Hospitalius Gallix Cancellarius (referente Camdeno) asse-

Libro 4
Geogr.

In Catio.

Libro 1.
German.
cap. 18.

soluisse ante illa tempora Et quod attinet ad commoditatem portus Caletensis, *satis constat*, (ait Cluuerius) *annis superioribus adeò incommodum fuisse, ut manu arteq; commodiorem efficere, incola opus habuerint, mole productâ è sabulo tam fluido, quod venti pariter vndaq; in portum prouehunt, uti nihil incolis certius videatur, quàm paucis abhinc annis obstructum iri portum.* Neque est quod Calètes populos æuo Cæsaris ibi habitasse putes; sedes illorum fuit in regione Franciæ, dictâ *le Caux*: vnde (Morinis grauiter à Romanis afflictis, & Atrebatum imperio subiectis) amne Canchæâ transgresso, occuparunt agros, vbi nunc est Comitatus Bononiensis & Guinesij, Caletumque oppidulum, indito gentis suæ nomine, condiderunt; ad quod nullæ terminantur militares Romanorum viæ, vbi portus æuo Cæsaris nullus, sequentibus incommodissimus fuit.

Itcium igitur alibi, quàm ad Caletum, quærendum existimauit Camdenus, ad *Visan* scilicet, inferius prope *Blacnesse*, verbo (inquit) *ab Itio non abludente*. Huc omnes ex Britannia transmisisse, & inde in eadem soluisse, ex historijs Anglicis obseruatum scribit; vsque adeò, vt Ludouicus Iunior Rex Franciæ, cum Thomam Cantuariensem religiosâ peregrinatione inuiseret, apud Sanctum

Etum illum demiffiffimè fupplex intercefferit, vt inter *Vifan*, & *Douer*, nemo naufragio periret; quali hinc inde, eo tempore, commodiffimus fuerit traictus. Verùm ibi, contra diftantiam à Cæfare notatam, fretum maximè coarctatur,

Vixq̄, manet portu tuta carina fuo.

P. Merula, leuiffimâ coniecturâ, vult Iccium portum Oceano hauftum effe, nudamq̄ue eius memoriam & appellationem extare, fortè in vico, qui prope Bononiam, ad mare, vernaculè dicitur *Portet*, quali *portus Jtius*, κατ' ἀποκοπῆν.

Cosm. p. 2
lib. 3. c. vi.
tim.

Index locorum præfixus veteri Cæfaris manuſcripto, cœnobij S. Ioannis Morinenfis, *Iccium portum* vertit *Stapulam*, vulgò *Eftaple*, in Comitatu Bononiènfi. Codex Cæfaris manuſcriptus linguâ Gallicâ exaratus, in Infulenſi bibliothecâ Societatis I E S V, *portum Bononiènſem* interpretatur pro Iccio. Auctor libelli de Statu Germaniæ ante Caroli Magni imperium, editi Auguſtę Vindelicorum, anno M. D. LX XIX. vbi agit de veteribus Flandriæ incolis, *Gefforiacum* cum *Iccio portu* confundit; vnde perſuaſum videtur Marco Velſero, ad fragmentum Tabulæ itinerariæ, Iccium portum, eundem effe cum Gefforiaco, quod conſtituit ad Bononiam.

In tantâ opinionum varietate, Pontus Heute-

Lib. 2. de
Belg. c. 18

rus ingenuè fatetur, ex veteribus Auctoribus docere se non posse, quo loco Iccius portus olim fuerit; benè quidem quòd sub imperio ac ditione Morinorum, & inde breuissimum commodissimumque in Britanniam fuisse traiectum: vbi autem mare continenti aliquid addiderit, aut abstulerit, faciliùs asseri, quàm doceri; & id non minùs olim in Britannia, quàm apud Belgas vsu venisse potuisse.

Nos sententiam nostram dicemus paucis, per quam corruent omnes priores, quippe quæ in portibus, vel nouis, vel Cæsarianæ classis incapacibus, *σοχασκῶς* dumtaxat Iccium collocarunt.

C A P V T V.

Via militares Morinorum, ducentes ad Portus, Iccium & Gessoriacum.

ROMANI Terrarum Orbem imperio suo adiectum per vias publicas partiti sunt, quas olim vocauerunt Regias, Consulares, Prætorias & Lib. 15. Militares. *Primùm Pæni dicuntur lapidibus vias*
c. vlt. *strauisse (ait Isidorus) postea Romani per omnem panè Orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa.* Auctor est Liuius, Lib. 41. Q. Fuluium Flaccum & A. Posthumium Albinum

num Censores, anno Urbis conditæ DLXXX. vias sternendas silice in vrbe, & extra urbem glareâ substruendas, marginandasque, primos omnium curauisse. Scribit Plutarchus, Iulium Cæsarem Appiæ curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendisse. Augustus, desumptâ sibi Flami-
 niâ viâ Arimino tenus muniendâ, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecuniâ sternendas distribuit, quò faciliùs vndique Vrbs adiretur: ita vt meritò sic exclamarit scriptor æqualis Dionysius: *Ego sanè in tribus magnificentissimis operibus Roma, & è quibus maximè apparent illius imperij opes, pono Aquaductus, VIARVM MVNITIONES, Cloacarum structuras: neque id solum ad utilitatem eiusmodi operum respiciens, sed etiam ad impendij sumptuumq; modum.* Vt verò in Hispaniâ, Italiâ, Germaniâ, Angliâ, sic etiam in Galliâ, Romanæ huius magnitudinis notæ supersunt, VIAE MILITARES: *quæ id miraculi præsertim habent (inquit Carolus Bouillus) quòd sublimiores sint vicinis vndique agris, quòd inter insignia Gallia oppida rectissimè iter conficiunt, quòd silicinis lapillis, qui et iam vicinis agris desint, sternantur; adeò vt vel ab humo ebulluisse silices, vel ab æthere sublimi eos pluuisse, vel aliâ quam humanâ manu & operâ, vndecumq; toto Orbe lectos, in eiusmodi viarû ruderatione, quis demiretur.*

Sueron.in
Aug.

Libro de
Hallucin.
Gal. no-
mi. c. 23.

Morinis Romanum iugum expertis, viæ non defuerunt; quarum beneficio, ad loca per Romanos culta & frequentata, quasi manu deducemur. Sic descriptæ exstant in Antonini Itinerario.

A Durocortoro Gessoriacum.

<i>Suessionas</i>	M. P. XXXVII.	Soissons.
<i>Noviomagum</i>	M. P. XXVII.	Noyons.
<i>Ambianos</i>	M. P. XXXIV.	Amiens.
<i>Pontes</i>	M. P. XXXVI.	Pontieu.
<i>Gessoriacum</i>	M. P. XXXVIII.	Bologne.

A Portu Gessoriacensi Bagacum vsque,
M. P. LXXXIII. sic:

<i>Teruannam</i>	M. P. XVIII.	Teroané.
<i>Castellum</i>	M. P. VIII.	Cassel.
<i>Viromiacum</i>	M. P. XVI.	Veruick.
<i>Tornacum</i>	M. P. XVI.	Tornay.
<i>Pontem Scaldis</i>	M. P. XII.	Escaupont.
<i>Bagacum</i>	M. P. XII.	Bauay.

A Castello per compendium Tornacum vsque,
M. P. XXVIII. sic:

<i>Minariacum</i>	M. P. XI.	Esterre.
<i>Tornacum</i>	M. P. XVII.	Tornay.

A Castello Coloniam.

<i>Minariacum</i>	M. P. XI.	Esterre.
-------------------	-----------	----------

Neme-

<i>Nemetacum</i>	M. P. XIX.	Arras.
<i>Camaracum</i>	M. P. XIII.	Cambray.
<i>Bagacum</i>	M. P. XVIII.	Bauay.

Ad Gessoriacum portū geminas hīc habes vias; ad Iccium, adhuc nullas. Habe vnam ex Aucto-
 ribus rerum Flandricarum. Ita primò Meyerus: *Ex* Tom. 1.
vijs (Morinorum vijs) *vna ex Atrebatibus, Stegriaco,*
Castetog₂ ad MARE ducit, multisq₂ etiamnum locis
lapide strata cernitur. Marchantius deinde: *Per Ste-*
gram, Castetumque, via regia, vetusque, opus vel Ro-
manorum, vel Brunehildis Francorum Regina, vt
volunt Chronica Bertiniana, multis locis etiamnum
saxis compacta, ex Atrebatibus ad MARE ducit. ad-
 dit Gramayus: *Versus Caletum, & portum Ic-*
cium, & MARE. Rectè *versus portum Iccium, &*
MARE, non item, versus Caletum. E. tribus enim
 vijs regijs, quæ à Teroanâ, Minariaco, & Virouia-
 co concurrunt ad Castellum, media continuatur
 in illam quartam, quæ rectà ducit ad Mardiccium
 oppidum, & ad mare contiguū, vbi adhuc ho-
 die habes in arenosis collibus, speculatoriam tur-
 rim antiquissimam, ad quam PORTVS ICCIVS,
Deprensus olim statio tutissima nautis.

Viam illam incolæ vulgò vocant *Steenstrate*, &
Heystrate, quasi dicas *stratam lapideam*, & *stra-*
tam exercituum. *Stratam* quidem à sternendo, vt
 Lati-

Latinè Beda & Isidorus militares vias, *stratas* extulerunt. *Stratam lapideam*, quòd glareâ & silice strata effet; vt Tusculana & Albana, de quibus sic Tibullus ad Messalam:

*Namque opibus congesta tuis, hic glareâ dura
Sternitur, hîc aptâ iungitur arte silex.*

Stratam exercituum, quòd per eam exercitus in Britanniam traiecturi, ad portum Iccium deducerentur. Modum quo per publica itinera milites incedebant, placet hîc adijcere ex D. Ambrosio:

Miles cum ingreditur viandi ordinem, non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio VIAM carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat à signis; sed ITINERARIUM ab Imperatore accipit, & custodit illud: præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, RECTAQ; VIA conficit ITER, vt inueniat com meatuum sibi parata subsidia: si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit; quia Imperator ijs iubet hac præparari omnia qui sequuntur, nec dextrâ nec sinistrâ à præscripto itinere declinant; meritoq; non deficit, qui Imperatorem suum sequitur: moderatè enim ambulat; quia Imperator non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile considerat, ideoq; & statim ordinat. Triduo ambulat EXERCITVS, quarto requiescit die: eliguntur ciuitates in quibus triduum, quatrimum, & plures interponuntur

Libro 1.
eleg. 8.

Serm. 5.
in Psal. 118.

ponuntur dies; si aquis abundant, commercijs frequentantur; & ita sine labore conficitur ITER, donec ad eam urbem perveniatur, qua quasi Regalis eligitur, in qua fœsis EXERCITIBVS requies ministratur.

Extat etiamnum hodie celebris illa via, Casleto ducens ad Mardiccium, multis locis adhuc integra, quibusdam interrupta, vbi ad paranda ædificia, glaream & filices rustici effoderunt. In eâ mediâ ferè, supersunt rudera castri dicti *Peenhoue*, in quibus reperti non semel

—virides obductâ ærugine nummi.

Eam porrò viam, vicinalem non fuisse, sed verè militarem & communem, quòd ad MARE duceret, clarè colligitur ex his Paulli I. C. verbis: *Inter vicinales vias*, inquit, & ceteras vias militares hoc interest, quòd via militares exitum ad MARE, aut in urbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent: harum autem vicinalium viarum dissimilis est conditio; nam pars earum, in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoriuntur.

Lib. 3. de
Loc. &
itin. pu-
blic.

Qui verò insignis hæc via Mardiccia in Itinerario Antonini omissa? Fortassis cùm illud primò descriptum est, iam desierat frequentari, graui aliquâ acceptâ labe, puto sub Vespasiano, per Ciuilem Batauum, de quo sic Tacitus: *Ciuilem immen-*

Hist. 4.

sùm uniuersa Germania extollebat, societate nobilissimis

E

simis

simis obsidum firmatâ. Ille (ut cuique proximum) vastari Ubios, Treuirosq̄, & aliâ manu Mosam amnem transire iubet, ut Menapios & MORINOS, & EXTREMA GALLIARVM quaterent: acta utrobique prada.

Me vide
Vesont.
p. 1. c. 35.

Adde, quòd in eodem Antonini Itinerario, oppidorum, *Magetobria* in Sequanis soli Cæsari memoratâ, *Alexia* & *Bibraetes* in Æduis nulla mentio; ad quæ tamen militares viæ ducebant; fortè quia iam pridem excisorum, & æquatorum solo.

C A P V T V I.

Mardicium oppidum maritimum Vetus, à militari viâ ducente ad Mare denominatum: Portum Mardicium esse Iulij Cæsaris PORTVM ICCIVM.

MARDICIVM (nunc viculum maritimum) celebre olim Flandriæ fuisse oppidum, constans est fama, cui adstipulantur Belgici scriptores Marchantius, Oudeguerstius, Guicciardinius. In Polyptico Diœcesis antiquæ Morinensis, in Decanatu de Borbork, censetur, *Ecclesia de Mardicke ad collationem seu presentationem Abbatis S. Vinoci Bergensis*: nunc facta est Diœcesis Audomarensis. Meyerus eius initia refert ad tempora Regis Francorum Clodionis, cum ageretur salutis

Res. Flad.
tom. 1.

lutis annus quadringentesimus quadragesimus quintus: *Adducor faciliè ut credam, ait, Aldenborg, Rodenborg, Turholt, MARDICK, & Burborck, cum alijs nonnullis, primos Flandrorum vicos, castellaq; eâ tempestate extitisse.* Antiquius huius loci vestigium videtur superesse in Notitiâ vtriusque Imperij, vbi in editis exemplaribus legitur: *Sub dispositione viri spectabilis, Ducis Belgica secunda, Equites Dalmatæ MARCIS, in littore Saxonico.* Fortè *Marcis*, facili errore describentium, pro *Mardicis*. Lucas Torrius antiquitatis patriæ cultor & admirator sedulus, legisse seasserit in optimæ notæ manuscripto codice *MĀCIS*: quidni breuiatâ voce pro *MARDICIS*? sanè oppidi huius nomen variè in Auctoribus & chartis veteribus scriptum reperitur, vbi modò *Mardicam* & *Mardicas*, modò *Mardiccium* & *Mardiciacum* habes: nec in toto littore Flandrico (quod *Saxonicum* tunc vocabant) locus antiquus, quod sciam, vllus extat, nomine ad *Marcis*, aut ad *Mācis*, sic breuiatum, magis accedens. Oram Oceani Belgicam occupaerant Saxones, Valentiñiano & Valente III. Coss. ex Marcellino: quos deinde Valentinianus (re-

Lib. 28.

Libro 7.
cap. 31.

ferente Orofio) gentem in Oceani littoribus, & paludibus inuisijs (Morinorum scilicet) sitam, virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fines eruptiones

meditantem, in Francorum finibus oppressit. Rursus

Æmilius.

anno D C C L X X X I I I . victi à Carolo Rege Saxo-

nes, traducti sunt magno numero in Belgicam,

Oceani orâ ad incolendum eis datâ, iussuque tu-

Meyerus.

tari eam Lyderico maris Præfecto, quem *Almy-*

ralum appellabant. Siffridus Danorum Dux, idem

littus deprædatus est anno salutis D C C C C X X V I I I .

Denique Normannorum Dux Guilelmus anno

D C C C C X L I I I . oppida Flandriæ maritima com-

bussit, & adæquavit solo. Mardiccium oppidum

tunc dirutum credimus, quod absque muris reæ-

dificatum, furori Anglorum iterùm cessit, anno

M C C C L X X X I I I . Maxima illi quondam celebritas

à portu veteri eiusdem nominis; de quo sic Meye-

rus Rerum Flandricarum tomo primo: *Sub Ca-*

stellanorum item imperio fuisse credimus omnem

oram maritimam, ubi nunc Brucburgus, Grauelin-

ga, Bergiacum, Dunkerca, cum MARDICIACO

VETERI PORTU ruinis collapso, ortis non procul no-

uis portibus *Dunkercâ & Grauelingâ*. Idem tomo

nono: *MARDICA portus dirutus*. Et Gramayus in

Dunkercâ: Portus Dunkerca licet angustior, & in-

trare volenti, propter brevia & arcolas suspectus; ta-

men ex MARDICIACI & Longobardorum Ida de-

clinationibus non obiter cœpit assurgere. Vulgò Flan-

drorum effertur *Mardick*, quasi *maris dickam*, siue

maris

maris aggerem dicas, credo à militari viâ ad Oceanum ducente. Meminerunt priscae leges reparatio-

L. 1. C.
De imm.
nemini
conc.

Lib 19.

nis publici aggeris. Ammianus Marcellinus aggerem itinerarium, & aggeres publicos dixit pro militari-

bus vijs. Similiter Apollinaris ad librum suum:

ANTIQUVS tibi nec teratur AGGER,

Car. 14.

Cuius per spatium satis vetustis

Nomen Casareum nitet columnis.

Idem in Epitaphio aui sui:

Verum post patruos, patremq;, carmen

Haud indignus auo nepos dicaui;

Ne fors tempore posthumo viator

Ignorans reuerentiam sepulchri,

TELLVREM tereres INAGGERATAM.

Isidorus disertè: AGGER est media strata emi-

Libro 15.
cap. vii.

nentia, coaggeratis lapidibus, vel glareâ aut silicibus

strata, ab aggere, id est coaceruatione dicta, quam Hi-

storici VIAM MILITAREM dicunt. Hinc apud Ta-

citum, Agger via Posthumia, & Virgilium,

Qualis sepè VIAE deprensus in AGGERE serpens. 5. Æneid.

Aggerabant porrò lapidibus vias illas, quæ per loca decliuia, paludosa, & humida ferebantur.

Strabo: *Strauerunt & vias excisis montibus, vallibus repletis, ut currus vehere possint, & suscipere nauium onera.*

Galenus de Traiano: *Vias Traianus refecit,*

Libro 9.
Meth. c. 8

partes quidem earum, qua humida ac lusa erant, la-

E 3

pidibus

Libro 68. *pidibus sternens, aut editis egestionibus exaltans. Dio*
 1. Annal. *de eodem: Strauit paludes Pontinas lapidibus, ex-*
struxitq̄, iuxta vias adificia, pontesq̄, magnificos. Ta-
citus, de viâ Domitiâ in Germaniâ: Augustus is-
trames, vastas inter paludes, quondam à L. Domi-
tio aggeratus.

Opera solidiora ad alluiones aquarum & æstuum reciprocationes ferendas, vocabant *Aggeres marini operis*; quales fuere illi, quos ad mare Tyrrhenum in Latio, non procul ab Ardeâ, Imp. Antoninus Heliogabalus & Alexander Mammææ filius extruxerunt, teste hac veteri epigraphâ:

IMP. CÆS. M. AVR.
 ANTONINVS
 PIVS. FELIX. AVG.
 PONTIF. MAX. GERM. MAX.
 TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
 COS. IV. PROCOS. P. P. ET
 M. AVRELIVS
 ALEXANDER
 GERM. MAX. DACICVS. MAX.
 PRINCEPS. IVVENTVTIS
 LITVS. VICINVM. VIÆ SEVERIANÆ
 ADSIDVIS. MARIS. ADLVENTIS
 FLVCTIBVS. AD. LABEM. RVINÆ

L A B E -

LABEFACTATVM. AGGERIBVS
 MARINI. OPERIS. A. FVNDAMENTIS
 VT. PERICVLVM. COMMEANTIBVS
 ABESSET. EXTRVI. CVRARVNT.

Via nostra militaris de *Mardic*, marini operis aggerem bellè sonat, olim medijs in æstuarijs constituta, glareâ & silicibus firmissimè instrata, ducensque (per vicum *Steene*, sic à saxis denominatum) rectâ ad oppidum eiusdem nominis & portum *Mardic*: quem si Latinè efferas, aptissimè *MARDICIVM* dixeris; & demptâ priore syllabâ, *ICCIVM*, portum Iulio Cæsari memoratum inuenies, quem hæctenus nemo Geographorum repperit. Sic res ipsas venari cogimur & indagare, nominum coniecturis: quæ si à cognitione nostrâ pellerentur, politioris litteraturæ pars gratior à nobis exularet. Verùm alia critiria sententiæ nostræ firmandæ adijciamus.

Iulius Cæsar libro quarto de Bello Gallico, vbi iter in Britanniam meditabatur, sic ait de seipso: *Ipse cum omnibus copijs in Morinos profisciscitur, quòd inde erat BREVISSIMVS in Britanniam TRAIECTVS. Huc naues undique ex finitimis regionibus, & quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat classem, iubet conuenire.* Loquitur ibi Cæsar de vniuerso littore Morinorum, à quo haud dubiè
 breuior

breuior est traiectus in Britanniam, quàm à vicinis oris, seu dextris, seu sinistris, aliorum populorum. Breuissimum Freti spatium obseruatum est inter *Uisfanum*, & promontorium insulæ vulgò *Thenasse*, iuxta vicum S. Margereti; sed nauibus traiectus hinc inde nullus datur, importuoso litore utrobique. Cùm igitur venit ad Morinos Cæsar, à quibus erat breuissimus in Britanniam traiectus, in toto illo litore PORTVS quæsiuit, qui maximam soluendi & appellendi præberent commoditatem: talem quæ nactus est *Iccium*; de quo sic ille libro quinto: *Collaudatis militibus, atque ijs qui negotio præfuerant, quid fieri vellet, ostendit; atque omnes (naues) ad PORTVM ICCIUM conuenire iubet, quo ex portu COMMODISSIMUM in Britanniam TRAIECTVM esse cognouerat, circiter* Al. xxx. *millium passuum XXXX. à continenti.* Ecce commodissimum portum Morini littoris, *Iccium*: quem fuisse *Mardiccium* nostrum, operæ pretium est ut ostendamus.

Commodissimus est portus *Mardiccus*, Primò, quia in extremâ suâ orâ

Littus habet solidum, quod nec vestigia seruet,

Nec remoretur iter, nec opertum pendeat algâ.

Secundò, versus mare tegitur arenoso aggere (*ban- cum* nominant) qui vndarum pelagi exurgentis fran-

frangens impetum, fidam tutamque nauibus stationem facit,

— *pacatas remouens Aquilonibus undas,
Vnde exarmatum terris cingentibus aquor
Clauditur, & placidam discit seruare quietem.*

Tertiò, Naues Cæsaris propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, ipsomet teste, libro quarto. Portus Mardiccus magnam altitudinem aque perpetuò continet, sex, octo, decem, & duodecim cubitorum, tranquillo etiam mari, & recedente æstu; quo accedente longè magis intumescit. Magnitudo verò nauium Cæsaris colligitur ex sequentibus. Ipse libro citato: *Naues circiter LXXX. onerarias coëgit, quot satis esse ad duas legiones transportandas existimabat.* Legio tunc temporis erat quinque millium peditum, & quingentorum vel sexcentorum Equitum: quæ geminata si partiaris in octoginta naues, centum viginti quinque pedites cum Equitibus quindecim habebis in singulis: annon magnis? Libro eodem, in primo reditu è Britannia. *È duabus nauibus onerarijs, quæ eosdem Portui, quos reliquæ, capere non potuerunt, sed paullo infra delata sunt, egressi sunt milites circiter trecenti.* quibus si adiungas nautas, & militum mancipia, numerum minoribus nauigijs longè imparem comperies.

Quartò, Cùm primùm venit ad Morinos Cæ-

far, conuocatis ad se vndique mercatoribus, qui essent *ad maiorum nauium multitudinem idonei portus* in Britannia, sedulo inquisiuit. Athenæus ex Cottâ, classem eius mille nauium fuisse scribit: ipsemet libro quinto fatetur fuisse *amplius octingentarum, quarum multitudine perterriti hostes litus reliquissent*; eas omnes ad portum Iccium (tam vltiorem hunc, quàm citeriorem, de quo nos infra) conuenire iussit.

Portus Mardiccius Morini littoris, & verò Gallici totius amplissimus est, solusque Cæsariana classis capax; cui perbellè quadrent laudes, quas portui Lunæ Strabo attribuit, his verbis:

Libro 5.

Maximus & pulcherrimus portus est, multos inter se portus amplectens, magna profunditatis vniuersos, usque adeo vt omnium qui maris teneant imperium, facile fieret receptaculum, tum latè patentis pelagi multos per annos.

Quintò, His omnibus militaris via (de quâ nos antè) adijcienda est è Castello: quæ quidem cùm ante Iulium Cæsarem iam extaret, & Iccio portui nomen daret, illam saltem lapide sterni ipsum curauisse verosimile est, ad Equitum & vehiculorum commoditatem, temporisque in emetiendo itinere maiorem breuitatem; qualem in viâ Domitiâ Statius laudauit hoc carmine:

Hic

*Hic quondam piger axe vectus vno,
 Nutabat cruce pendulâ viator,
 Rodebatq; rotas maligna tellus,
 Et plebs in medijs Latina campis,
 Horrebat mala navigationis.
 Nec cursus agiles, sed impeditum
 Tardabant iter orbita tacentes,
 Dum pondus nimium querens, sub aliâ
 Repit languida quadrupes staterâ.
 At nunc qua solidum diem terebat,
 Horarum VIA facta vix duarum.*

Sextò, Ad commoditatem portus Mardiccij, accedit situs eius in Morinis, Menapiorum conterminis, vbi *ftium*, seu *fcium*, Cæſaris nauale Strabo ponit libro quarto de Britannia: *Quatuor sunt vſitati è continente in Inſulam traiectus* (inquit) *nimirum ab oſtijs fluminum Rheni, Sequanae, Ligeris & Garumna. Qui à Rheni partibus traiciunt, ij non ex ipſo ſoluunt oſtio, ſed à MORINIS, MENAPIORVM CONTERMINIS; apud quos eſt etiam ITIVM, quo nauali vſus eſt D. Cæſar, in eam tranſmittens inſulam: noctu autem ſoluit, & poſtridie circa quartam horam appulit ad inſulam, navigatione cccxx. ſtadiorum conſectâ.*

Menapij populi (qui ſub Diocletiano Imp. Carauſium Tyrannum orbi dederunt) ripas Rheni

fluminis primùm incoluere, à quibus tandem per Teuëteros & Vſipetes pulſi, limitanei Morinis fuerunt. *Menapijs* (inquit idem Strabo) *continuantur in orâ maritimâ Morini*. Sequebantur in eodem littore Oromanſaci, & Geſſoriacus pagus.

Libro 4. Plinius: *A Scaldi incolunt extera* (id eſt oram maritimam) *Toxandri pluribus nominibus: deinde Menapij, Morini, Oromanſaci, iuncti pago, qui Geſſoriacus vocatur*. Mardiccius portus ſitus eſt inter Menapios & Oromanſacos, in Morinis propriè dictis, quâ Menapijs cõtermini ſunt, vt indicauit Strabo, vnde κατ' ἐξοχλὴν dictus eſt *Portus Morinus* apud Florum. vbi ſic de Cæſare: *In Britanniam tranſit mirâ celeritate: quippe cùm tertiâ vigiliâ MORINO ſoluiffet à PORTV, minùs quàm mediâ die inſulam ingreſſus eſt*. Atque ob illum Cæſaris in Britanniam traiectum, *Britannici* cognomen tum Plinius illi portui adiecit, agens de vniuerſæ Europæ menſurâ: *Eſt autem ipſius Italia* (latitudo) XII. XX. *M: ad Alpes. Vnde per Lugdunum ad PORTVM MORINORVM BRITANNICVM, quâ videtur menſuram agere Polybius, XI. M. LXVIII.*

Libro 3. Denique traiectum à portu Iccio in Britanniam, vulgati Cæſaris codices faciunt circiter xxx. millium paſſuum: libri melioris notæ (aſſerente Brantio) xxx. Anguſtior pars freti eſt

In Notis
ad Cæſ.

XXII. milliarium Anglicorum, quæ totidem millibus passuum Romanorum æquivalent: proximus traiectus inter Caletum & Dubrim, est XXVIII. milliarium: traiectus inter Bononiam & Dubrim, XXXII. milliarium, vt Cluuerius à nauis constanti ore didicit. Ad quæ interualla, si traiectum à portu Mardiccio Dubrim vsque, vbi Cæsar appulit, proportionem metiamur, iustâ Cæsaris mensurâ, inter vtrumque portum XXXX. miliaria inueniemus, quæ CCCXX. stadijs Strabonis benè respondent, pro vnoquoque milliari (vt solet à Geometris) octona stadia computando.

CAPVT VII.

De ceteriore Portu, siue Sinu Iccio, infra Audomapolim; Æstuarijs: Vadis: Promontorio Icio, & natantibus Insulis.

SAT firmis rationibus, ni fallor, docuimus, Iccium Iulij Cæsaris portum, eundem fuisse cum portu nostro Mardiccio: superest vt ostendamus Iccium fuisse duplicem, & geminas habuisse stationes, quibus tantus nauium magnarum numerus exciperetur. Cùm primùm peruenit ad Morinos Cæsar, *P. Sulpicium Ruffum Lega-* Libro 4.
tum, cum eo prasidio quod satis esse arbitrabatur,

PORTVM tenere iussit. Deinde, nactus idoneam ad nauigandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ soluit, Equitesq; in VLTERIOREM PORTVM progredi, & naues conscendere, ac se sequi iussit. Portum hunc vltiorem, paullo post superiorem vocat: His rebus pace firmatâ, post diem quartum, quàm est in Britanniam ventum, naues XVIII, quæ Equites sustulerant, ex SUPERIORE PORTV leni vento soluerunt. Superior hic portus, aliàs vltior, citeriorem arguit, siue inferiorem: vtrumque numero multitudinis iunctim extulit Cæsar, in primo è Britannia reditu, libro quarto: *Ipse idoneam tempestatem nactus, paullo post mediam noctem naues soluit, quæ omnes incolumes ad continentem peruenerunt. Ex his oneraria duæ EOSDEM PORTVS, quos reliqua, capere non potuerunt, sed paullo infrâ delata sunt.* Et libro quinto in secundâ profectioe: *His rebus gestis, Labieno in continente cum tribus legionibus & Equitum millibus duobus relicto, vt PORTVS tueretur, & rei frumentaria prouideret, &c. ipse cum legionibus quinque, & pari numero Equitum, quem in continente reliquerat, ad solis occasum naues soluit.*

Libro 4.

Libro 5.

Vltior portus in ipso littore Oceani, fuit Mardiccius, de quo nos antè: Citeriorem colloco infra Audomaropolim, ybi quondam

Concaua vallis erat, quâ se dimittere riuus

Affue-

*Affuerant pluuiialis aquæ; tenet ima Lacuna
Lenta salix, vluæq, leues, iunciq, palustres,
Viminaq, & longæ parua sub arundine canna.*

Sententiæ nostræ fauet Abrahamus Ortelius ad topographicam tabulam Artesiæ, vbi oppidum S. Audomari fuisse *Portum*, siue *Sinum* *Jccium* conatur demonstrare: *Sancti Audomari oppidum* (inquit) *olim fuisse Oceani portum, atque sinum maris latissimum, vel præalta littora, quæ ipsam Ciuitatem quasi cingunt, demonstrant; aliaq, innumera argumenta, & antiquitatis vestigia, quæ apertè terram adiacentem salo mariq, subfuisse, vel nullo loquente conuincunt; necnon constans in hodiernum diem fama declarat. Quinimò & nomen vetus Ciuitatis, quod Siciu est (nam S. Audomari recens esse, nemo est qui nesciat) id arguit, quasi dicas sinum, vel portum Itium: ipsumq, portum apud Morinos fuisse, quos Virgilius & Lucanius extremos hominum vocant. Hac prætereà ita se habere, plurimis argumentis, tam ex transitu, quàm ex reditu Casaris è Britannia, attentus Lector facile deprehendet. Nec spatium triginta millium passuum, aut circiter, quo ibi insulam à continenti distare scribit, quò minus id crediderim, impedimento esse potest, cum maris æstus (maximè in tantâ loci angustia) facile aut addat, aut detrahat. Vera sunt quæ refert Ortelius de veteri nomine, situ,*

famâ:

In Theat.
Orbis.

famâ: qui sanè, si vtrumque portum à Cæsare indicatum detexisset, & huic citeriori, vltiorem Mardiccium adiecisset, hîc actum ageremus. Ortelij rationibus addunt etiam incolæ, in locis illis repertas anchoras; ostenduntque passim in illo tractu conchas marinas,

Et quas Oceani refluxum mare lauit arenas.

Nec propterea credendum est; altum ibi fuisse Oceanum, qui hercle plus inuehi oris Flandriæ, quàm auehi consuevit: testes sunt, portus Zuinus prope Slusam, Lombardisidæ iuxta Neoportum, noster Mardiccus, alijque in illo littore,

— *quorum confinia Pontus*

Abstulit, & mediâ tellurem reppulit undâ.

Vadosum ibi dumtaxat fuit mare, quod *estuaria* faciebat; hoc est, loca quæ maris accessu undis replebantur; & eiusdem recessu rursus vacua fiebant. De similibus apud Cauchos Plinius eleganter: *Sunt verò*, ait, *in Septentrione visa nobis gentes Cauchorum, qui maiores minorésque appellantur. Vasto ibi meatu, perpetuis bis dierum noctiumque, singularum interuallis, effusus in immensum agitur Oceanus, aternam operiens rerum natura controuersiam; dubiumque, terra sit, an pars maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, ut tribunalia structa Manibus, ad experimenta altissimi aestus, casis ita impositis,*
navi-

navigantibusque similes, cum integant aqua circum-
data; naufragis verò, cum recesserint: fugientesque cum
mari pisces, circa tuguria venantur. Loca illa vehe-
menti commotione fluctuum reciprocorum op-
pleta, LACVS vocabant. Dio de Druso: Rbeno in Libro 54.
Oceanum deuectus, Frisios perdomuit; & cum per
LACVM in Chaucorum fines traiceret, in periculum
incidit, nauibus, maris refluxu, in sicco destitutis. Ta-
citus de Germanico: Ipse impositas nauibus qua- Annal 1.
tuor legiones per LACVS vexit. Idem paullò post
mare vadosum appellat: Germanicus legionum,
quas nauibus vexerat, secundam & quartam deci-
mam, itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit,
quo leuior classis VADOSO MARI innaret, vel reci-
proco sideret. Vitellus primùm iter siccâ humo, aut
modicè allabente aestu, quietum habuit: mox impulsu
Aquilonis, simul sidere aquinoctij, quo maximè tu-
mescit Oceanus, rapi agique agmen, & opplebantur
terra. eadem freto, littori, campis facies; neque discerni
poterant incerta ab solidis, breuia à profundis.

Morinorum littus totum, æstuante mari olim
 fuisse immersum, præter communem famam,
 colligo ex Annalibus Flandriæ Iac. Meyeri, tribus
 locis. Anno primùm DXXXI: *Eâ ferè tempestate* Libro 1.
tota Flandria Mempiscus vocabatur, exceptâ orâ lit-
toralis, quam non Flandriam, sed FLANDRAS, hoc est

TERRAS AESTVARIAS nominabant. Quid claritius? Deinde anno M. LIII: *Timore Henrici quarti* (Imperatoris) *Balduinus* (Princeps in Flandriâ occidentali) *magnam duxit fossam pertinentem à Comitatu Lensensi vsque ad MARE, ne posthac tam facile alicui Imperatori in interiorem Flandriam pateret irruptio. Eam fossam à nomine suo Boulanam appellasse dicitur: FOSSAM NOVAM nunc vocant Flandri. Ipsa hodie Atrebates eâ parte à Flandris, linguâmq; Gallicam à Teutonicâ determinat. Ingens iste canalis adhuc extat, non procul à Teroanâ, è cuius fundo sæpenumerò educuntur partes anchorarum, aliaq; ferramenta nautica, certissima argumenta & indicia vicini olim & aduentis Oceani. Hic autem effossus dicitur à Balduino vsque ad MARE, hoc est vsque ad I C C I V M S I N V M, ad quem per vada & æstuaria intumescens pertingebat Oceanus.*

Idem Meyerus, anno M. C. LXVI. *Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, ab Henrico Rege Angliæ iniuriâ ciectus, Grauelingam in Flandriam applicuit; primumq; traiecit à MORA PALUDE, ad Clarimaresci, inde ad Diui Bertini peruenit monasterium. A Grauelingâ portu (qui tunc recens conditus in pago D. Willebrordi) traiecit scilicet D. Thomas per æstuaria, siue paludosa loca, quæ MORAS*
Bel-

Belgæ vocant (vbi nunc Brucburgus, hoc est *castrum paludis*) ad Clarimarescum Cistertiensis & inde ad Bertinianum Benedictini instituti monasteria, ambo sita in aquoso illo fundo, quondam *Sitiu* dicto, nunc parte quadam habitabili reddito, vbi tunc passim

— *celebres mergis fulicisque palustribus vnda.*
Ceterum prisca illa æstuaria inter vtrumque portum Iccium, vltiorem & citeriorem, non obscure nobis indicauit Cæsar, dum naues suas, pro expeditione Britannicâ secundâ, *ad celeritatem onerandi*, Libro 5. *SVBVDCTIONES* q̄, paullo fieri iussit *humiliores*; ad exemplum Venetarum, de quibus ipse libro tertio: *Carinæ aliquantò planiores, quàm nostrarum nauium, quò facilius Vada, decessumq̄, Aestus excipere possent.* Namque vadofum littus omne dubium est,

— *quod terra, fretumque*
Vindicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Quemadmodum autem *deduci* dicuntur naues per mare ad nauigandum; ita dicuntur *subduci*, hoc est per vadofa loca trahi, *aut in interiorem portus partem* (ait Hotmanus) *aut in aridum, vel refectiois, vel munitiois causâ.*

In Notis
ad Cæf.

Subducturus classem Cæsar (per fluuium tunc

æstuaria præterlabentem, qui nunc per Grauelin-
gam in mare influit) à portu citeriore, siue Sinu
Iccio, ad vltiorem Mardiccium; planas carinis
voluit habere naues, quæ minuente æstu, in vadis
minimè afflictaerentur: atque, vt leuior esset classis,
Equites (qui Castelli in præsidio erant) in vltio-
rem portum per aggerem militarem progredi, &
naues conscendere, ac se sequi iussit.

Inter vtrumque portum, vadoso isti mari im-
mincebat *Promontorium Icium*, Ptolemæo Ἰκιον
ἄκρον, è conspectu Cantij, Albionis promontorij.
Id ipsum fuisse reor montem illum, quem fortè,
quòd vadis Itianis immineret, *Vatenum* nomi-
narunt. Guicciardinus multa antiquitatis monu-
menta inibi effodi annotauit; ibique olim fuis-
se creditur pharus, ex aduerso alterius in monte
Dubrensi positæ, cuius rudera admodum atte-
nuata supersunt. *Vatenum* montem vndequa-
que prisca æstuaria ambiebant; exindeque aurâ
serenâ Britannia clarè conspicitur.

Nunc in toto illo tractu mutata est penitus re-
rum facies, obnoxia miserandæ sublunarium re-
rum conditioni, quam apud Ouidium Pythago-
ras sic expressit:

15. Mera-
morphos.

*Nilequidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim: sic ad ferrum venistis ab auro*

Sæcula:

Sacula : sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum : vidi factas ex aquore terras:
Et procul à pelago CONCHAE iacuere MARINAE:
Et vetus inuenta est in mōtibus ANCHORA summis:
Quodq̄, fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, & eluue mons est deductus in aquor:
Eq̄, paludosa, siccis humus aret arenis:
Quaq̄, sitim tulerāt, stagnata paludibus hument.
Hic fontes natura novos emisit, & illic
Clausit; & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exsiccata residunt.

Lacus Morinorum magnam partem nunc exhausti sunt, ipseque Oceanus tam artificiosis vastisque molibus septus, ut incolæ in sicco iam pæ-
 nè sint positi, neque tempestatum metuant irruptiones. Ea felicitas ipsis, ab aggeribus, repagulis, cataractis; maximè verò ab arenosis collibus, quos veteri voce Clitiphonis, apud Plutarchum, Libro de Flumin. DVNAS vocant. Ex ijs quæ supersunt aliquot locis Moris, siue paludibus, magnâ industriâ per fossas, & molendina, aqua latè stagnans educitur, ut māsuescat fundus, & habitationi aptus reddatur.

In lacubus prope Audomaropolim, extra suburbium Aquilonare (vbi olim sinus Iccius) vidimus insulas natatiles, non absimiles illi, quam

6. Meta-
morph.

puerperio Latonæ claræ, Ouidius *leuem & erraticam* vocauit. Sunt veluti quædam crassiores & tomentosæ culcitræ, è musco denso, aëre multo distento compactæ, cui radicularum fibris aquatica gramina sunt intexta, quæ pratensem virorem exhibent. Nutritur massa tota tenui terræ limo, qui expressione factâ manu se prodit. Sic prata sunt sine fundo, insulæ sine solo, quæ tamen veterina ferunt, & homines. Non rarò innascuntur ijs alni, salicesque lætæ frondibus, quas excindere solent coloni, ne ventis actæ dimoueant loco insulas, sub quibus per vimina firmo solo alligatis, tempore brumali, ac etiam æstiuo, numerosi pisces latent, gelu deuitantes, & calorem, à quibus vtilitas dominis. Vinculis vimineis solutæ, non tantùm ventis, sed etiam contis quò libeat impulsæ dimouentur, vt *Calamina* in Lydiâ Plinio memoratæ, sed & ad ictus modulantium pedum contremiscunt, vt aliæ in Nymphæo dictæ *Saltuares*. Serenissima Princeps Isabella quadraginta ad minimum Nobilibus, quæ feminis quæ viris, è comitatu suo stipata, in vnâ earum aliquamdiu stetit, ac per aquas deuecta est; quin & ibi rogata pateram ori admouit, vbi scilicet Carolus V. auus, Philippus II. pater, & Albertus maritus aliàs vinum libarant.

CA-

CAPVT VIII.

Gessoriacum pontibus ab Augusto cum Bononiâ iunctum, à quo Claudius Imp. in Britanniam soluit, alium fuisse à Portu Iccio, sæculisq; posterioribus solitariè dictum Bononiam: Præsidia Romanorum ad vtriusque Portus tuitionem.

EXPEDITIONEM vnam omnino suscepit, Sueton. in Claudio. eamque modicam, Claudius Imperator; cum decretis sibi à Senatu ornamentis triumphalibus, leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur, velletque iusti triumphus decus: vnde acquireret, Britanniam potissimum elegit; neque tentatam vlli post D. Iulium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Ostiâ nauigaret, vehementi Circio bis pænè demersus est, prope Liguriam, iuxtaque Stœchadas insulas. Quare à Massiliâ GESSORIANVM vsque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine vlllo prælio, aut sanguine, intra paucissimos dies, parte insulæ in deditioem receptâ, sexto quam profectus erat mense, Romam redijt, triumphauitque maximo apparatu. Ad cuius spectaculum com-
meare in urbem, non solum Præsidibus Prouinciarum permisit, verumetiam exulibus quibusdam;

dam; atque inter hostilia spolia naualem coronam fastigio Palatinæ domus, iuxta Ciuicam, fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Tunc Gessoriacum oppidum à Claudio mirè excultum ferunt; & ad ornatum illum pertinere illa

Libro 12.
cap. 1.

Plinij de Platano arbore: *Quis non iure miretur arborem, umbrae gratiâ tantum, ex alieno petitam orbe? PLATANVS hac est, per mare Ionium in Diomedis insulam, eiusdem tumuli gratiâ primùm inuenta; inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italia; & iam ad MORINOS vsque peruecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigales pro umbrâ pendant.*

Libro 3.
cap. 2.

Iulius Cæsar in Commentarijs Gessoriaci mentionem nullam fecit; ideoque obscurus eius æuo videtur fuisse locus. Pomponius Mela Claudio viuente scripsit, *ultimos Gallicarum gentium Morinos, portu quem Gessoriacum vocabant, non habuisse quidquam notius.* Ptolemæus Γεσσορριακόν appellat:

Libro 1.
cap. 21.

Libro 4.
cap. 16.
Cap. 17.

Florus comparat cum Fregellis oppido Volscorum in Italiâ: Plinius vno loco meminit *Gessoriaci Morinorum gentis littoris; alio, pagi, qui Gessoriacus vocabatur.* Itinerarium maritimum Imp. Antonini, notat, à *Portu Gessoriacensi, ad Portum Rutupium, stadia CCCCL.*

Robertus Guaguinus, Hermolaus Barbarus, & Domi-

Dominicus Niger collocant Gessoriacum ad Brugas: Hector Boëtius ad Slusam municipium: Io. Talbotus ad Caletum: Turnebus & Surita ad vicum Soacum: Scaliger ad *Gessoire* oppidum: Rob. Cœnalis ad Casletum: Bilibaldus ad Gandauum: nonnulli ad Diepam Effuorum: Rhennus, Massonus, Lelandus, Maginus, Velserus, Camdenus, & alij complures ad Bononiam; quorum opinioni subscripsit Meyerus, qui sic in *Annalibus Flandriæ*, anno M. CCC. VII. *Hæc facta sunt Bononia, quæ nomine dicta est antiquo GESSORIANVM, Morinorum nauale, Marcellino inter veteres memorata, pertinebatque antiquitus ad Comitatum Flandricum; sed per calliditatem Gallorum, aliàsque partitiones hereditarias, auulsa fuit.* Florus Libro 4. cap. 12. per Stadium emendatus, Bononiam & Gessoriacum contigua primùm fuisse loca, intermedio flumine tantùm distincta, clarè insinuat, vbi scribit, *Augustum ea pontibus iunxisse, clausibusque firmasse.* Exinde Bononiæ nomen primus solitariè retulit Eutropius in vitâ Diocletiani Imp. Dein- Libro 9. de Marcellinus Constantio Aug. X. Iuliano III. Libro 10. Coss. hoc est, anno Christi ccc. lxx. *Notarius BONONIAM mittitur, obseruaturus sollicitè, ne quisquam fretum Oceani transire permitteretur.* Idem Ammianus alibi: *Ad hæc prohibenda si copiã dedisset* Libro 17.

fortuna prosperior, ORBIS EXTREMA Dux efficacissimus (Theodosius) petens, cum venisset ad BONONIAE litus, quod à spatio controuerso terrarum, angustijs reciproci distinguitur maris, attolli horrendis aestibus asueti, rursusq; sine ullâ nauigantium noxâ, in speciem complanari camporum. Exinde transmeato lentius freto, defertur RVTVPIAS, stationem ex aduerso tranquillam. Tum Olympiodorus in historiâ Honorij Senioris, & Theodosij Honorijque Iunioris, de Constantino Tyranno: Relictis Britannijs traiecit cum suis ad BONONIAM, quod maritimum est, ac primum in Gallorum finibus oppidum. Si tunc temporis primum, ergo nondum exstabat Caletum. In Libro prouinciarum & ciuitatum Galliae, in Belgicâ secundâ, in quâ est transitus in Britanniam, sub Metropoli Rhemenfi, post Ciuitatem Morinûm, proximè recensetur Ciuitas Bononiensium.

Bononiam porrò & Gessoriacum pro vno & eodem loco habita fuisse, conuincitur ex Itinerariâ tabulâ Peutingeri, vbi legitur:

GESSORIIACVM, quod nunc BONONIA: ratioque itineraria exactè respondet distantiae, quam inter Ambianos & Gessoriacum posuit Antoninus. Prætereà, piraticam Carausij factionem, quam Gessoriacensibus muris inclusam, & captam

captam retulit Panegyricus Constantio Augusto dictus; alter ad Constantinum Max. eius filium, ad Bononiam fuisse deuictam commemorat; ita ut Bononia & Gessoriacum pontibus ab Augusto iuncta, fuerint necessariò vnum idemque oppidum, vetustiusque nomen tunc temporis exoleuisse videatur. Nec enim iudicandum est, tantos Auctores, ad tantos Principes, in huius loci notatione, recenti tum memoriâ, aberrauisse. Adde, quòd ad Bononiam PHARVS extitit à Romanis posita, quæ nocturno nauium cursui portum ostenderet: ea longo pòst tempore à Carolo Magno restaurata fuit, ut testatur Regino, apud quem corruptè *Phanum* legitur pro *Pharum*; nunc vulgò dicitur *turris d'Ordre*. Ceterum quòd Marcus Velserus & Philippus Cluuerius affir-

Ad fragmen. Tab. itiner. Libro 2. cap. 28.

mant, portum Iccium, eundem fuisse cum Gessoriacò, qui posterioribus sæculis dictus sit Bononia; falsum est, si Ptolemæo fides: is enim licet Icio promontorio, & Nauali Gessoriacò, eundem tribuat latitudinis gradum, scilicet LIII. & scrupulum eundem, scilicet XXX: tamen in longitudine valdè differre ostendit, quòd vterque locus eidem quidem subsit longitudinis gradui XXXI; sed Icium Promontorium sub indicati gradus scrupulo XV. Gessoriacum verò sub scrupulo

pulo XLV. vnde planè necessum est, non fuisse eadem iuxta veteris Astronomi calculum : qui sanè vir Ægyptius, vt *mirus in reliquis etiam Gallie ordinandis turbator fuit*, ipsomet Cluuerio assertore; ita in horum locorum indicando situ, præposterè censuit, dum Gessoriacò præposuit Icium, sic alioquin extra Morinorum terminos ablegandum.

Deinde, certum est, omnem oram maritimam, quæ fuit prouinciæ Morinorum, olim constitisse PAGIS, qui (vt obseruauit Scaliger in Ausonium) fuerunt amplii tractus, & prouinciarum præposituræ. Plinius, (vt antè monuimus) meminit *Gessoriaci pagi*, in quo fuit *Gessoriacum Nauale*, in Australi Morinorum limite, vbi nunc Bononia. Scrickius in Archiuus Ecclesiæ S. Petri, Castelli Morinorum, in chartâ anni M. LXXXV. scriptum repperit, *Cassel, in pago Menapisco* : scilicet iuxta Boreale Morinorum littus, Straboni *Menapiorum conterminum*, vbi *Icium Cæsaris Nauale* collocat ipse; vbi portus noster nunc extat *Mardiccus*. Vnde patet luce clariùs, *Icium* & *Gessoriacum*, diuersos fuisse portus; quippe totâ pænè prouinciæ Morinorum longitudine (*Oromanfaco pago* intermedio) ab inuicem discretos. Accedit Romanorum itinerum diuersitas, quam habes

suprà,

Libro 4.
cap. 16.

In Ind.
Geogr.

Cap. 5.

suprà, ex Itinerario Antonini, auctoribus rerum Flandricarum, & schemate topographico, per quod littus Morinorum, quale sub Romanis fuit, exhibuimus, vt Militares viæ ducentes ad vtrumque Portum, meliùs obseruarentur. Habes ibidem ad viarum interfectiones, pro Portuum tuitione, loca præsidiorum, & stationum Romanarum, è quibus natæ vrbes, castra, & oppida, cùm antea (ex Dione) Morini nulla haberent. *Habitabant* Libro 39.
Romani (inquit Beda) *intra vallum, ad plagam meridianam; quod Ciuitates, Fana, Pontes, & Strata ibidem facta, vsque hodie testantur.*

VIROVIACVM, oppidum non ignobile, etiamnum superest, ad Militarem viam, vulgò *Veruik*, corruptè in Itinerariâ tabulâ *Virouinum*.

MINARIACVM quoque, quod primùm *Aëtij terra*, in Vitâ sancti Vedasti, tum *Stegria & Stegra* dictum, vulgò *Esterre*. Ad eius pontem in Liffâ fluuio pertingit regia via vetus, ibique in ruderibus numini veteres passim effodiuntur. Malè Cluuerius *Minariacum* collocat ad oppidum *Meruille*, quod olim *Minor villa*, & à S. Moronto, Broilij Cœnobij fundatore, *Meronti villa* dicebatur.

CASTELLVM, nunc mollitâ voce Romanâ *Casletum*, vulgò *Cassel*, locus est ad concursum

viarum amoenissimus, & commodissimus praesidio; in monte quippe situs, è quo, sereno cælo, non solum portus omnes, & ipsum fretum, sed & vrbes triginta ad minimum in planicie ambiente, spectantium oculis hodie subijciuntur; quod aliàs nullibi in Orbe obseruatum. Superfunt in verticis decliui rudera nummis referta, reliquiae Arcis Romanæ, è quâ olim toti tractui inuicta gens imperabat.

TEROANA, Ptolemæo Ταρσάνα; Antonino *Teruanna*; quibusdam æui medij Scriptoribus *Tarubanum*, antiquissima Morinorum Metropolis; in Libro prouinciarum *Ciuitas Morinum*; alibi *Ciuitas Morinensis*; nonnullis *Teruana*, quasi *terra vana*, ob vilitatem territorij; sita fuit ad fluuium Lisam, tertio lapide à fano S. Audomari, vbi viæ militares se interfecant; erecta primò Romanorum militum manu, à quibus COLONIA MORINORVM nuncupata; ad quam pertinet antiquus iste lapis, pridem reperiens in Geldriâ:

MINERVAE

CVR. LADAE

T. PVNICEVS CE

NIALIS II VIR CO

LON. MORINO

RVM. SACERDOS

ROMAE. ET. AVG

OB. HONOREM

F. V. A. M. O. V. L.

Vrbs fuit patrum nostrorum memoriâ valdè florens, quam Carolus V. Imp. funditus evertit, anno M. D. LIII. Vnde natum chronographicum, *De Leti Mor Inl.* Sedes Episcopalis cum Henrico II. Gallix Rege diuisa est, ita vt media pars Iprensi & Audomaropolitano Episcopis, altera Bononiensi cederet. Pacis postmodum legibus, vrbs destructa, Regi Gallix reddita est, eâ conditione vt mœnibus nusquam cingeretur.

F I N I S.



AMPLISSIMO VIRO
 IO. IAC. CHIFFLETIO
 ARCHIATRO REGIO
 ERYCIVS PVTEANVS S. D.

HA seculi nostri felicitas est, Amplissime Vir, ut plures passim scribant: ea infelicitas, ut pauci benè, & exemplo melioris aui. Te inter paucos esse, iste nunc de Portu Iccio liber ostendit; Belgicis quoque typis, postquam Hispanicis prodijt, & laudari ubique cœpit, quàm maximè dignus. Liber? imò Portus ipse, olim Cesaris, nunc tuus; quia ingeniosè & feliciter DEMONSTRATVS. Mari suo mersus iacuit, detectus à G A M E L I O; sed ut per te demum sciretur. Tu post Marlianum, Meyerum, Vigenereum, Merulam, denique post Cluverium, quàm eruditus, tam verus & accuratus fuisti: inuenire potens quod ab omnibus hætenus doctis nequidquam quasitum est. Hanc igitur industriam ingenij ac felicitatem admirantur omnes: sed in primis Morini, vltimi, ut cum Melâ dicam, Gallicarum gentium; qui cum à Iulij Cesaris temporibus belli famâ nobiles sint, pulcherrimum & antiquissimum maris sui terræq; monumentum tibi extero debent,

debent, ac publicâ voce acceptum referunt, tot iam sa-
 culis ignoratum. Itaq, qui sint Morini, & unde dicti,
 scire nunc licet. Hinc Gessoriacum, hinc vias per eum
 tractum militares, aggeresque: ad summam, ICCIVM
 esse MARDICIVM, & commodissimum, ut
 Caesar scribit, in Britanniam traiectum videmus.
 Postquam instauratus est, nomen suum inuenit, quod
 tamen incremento syllaba retinuerat. Nomen, & sic
 terrorem: ut iam in Rege Casarem iterum vicina In-
 sulæ timeant. Hostes quidem hætenus, quia non impe-
 diti imperio quodam undas tenuere. Tamquam Ne-
 ptuni filij & furore maris armati, magis magisque in-
 potentiam Hispanicam insurgere ausi sunt, propinqua
 ac simul remota littora infestare: breuiter, Oceani qua-
 si imperium quæ mundus patet moliri. Sed adhuc POR-
 TVS ICCIVS ignorabatur, adhuc CHIFFLETIVS
 non scripserat. Tuus ille calamus mare aperuit; vires
 animosq, nobis dedit, hostibus eripuit. Quid attinet
 dicere? E portu ICCIO Britannia à Casare inuadi
 potuit, & in potestatem Romanorum venit. Satis non
 erat pugnare Casarem, nisi ICCIVM haberet: sic nec
 satis, ICCIVM fuisse, nisi Caesar pugnaret; PHILIP-
 PVM habemus, cuius potentia omni bello par est, &
 Fortuna sufficit. Nuper autem Caletum fuisse IC-
 CIVM nonnulli arbitrati sunt: quo potissimum mo-
 mento conditiones pacis inter PHILIPPVM II. &

HENRICVM IV. librata; cùm non tam de Vrbe, quàm de portu agretur; nec tam de portu quàm de ICCIO. Sanè quantum Rex Hispaniarum Gallijs concessit, Regi, vt sic loquar, eruditio tua reddidit. Tam felici industriâ factum est, vt cùm oppidum Galli receperint, intelligant demum in potestate nostrâ Portum adhuc manere. Omnia sic quidem classis poterit; Portum habet: cum victoriâ bellum erit; nauibus pugnabitur. Prorsus in mari tellus vincenda est: viresq; Regia, quia nauale habent, quia ICCIUM habent, sternent ac domabunt omnia. Ubi malacia est, tempestatem facient; rursus ubi tempestas, malaciam ac tranquillitatem. Noster iam Neptunus erit; & omnia maris numina in subsidium virtutis adducet. Liber hic interim tuus à Doctis Magnisq; æternum aestimabitur, & quia cum felicitate temporum nominis tui famam illustriorem faciet, doctrinâ ipse & virtute æternus eris. Nunc etiam præmia vtriusque in Hispaniâ & Belgio velut testimonia nactus es, vt cùm magnus domi esses, magis etiam foris inclaresceres. Fruere his præmijs, & fruere nunc magis ingenio tuo: maximum enim est, Portum ICCIUM DEMONSTRASSE. Vale. Louanij, in Arce, Nonis Iunij, siue XI. die mensis Iunij, qui XI. apud Aegyptios, ∞ .IJC. XXVII.

EGO qui subscripsi, postquam hunc librum
 ex mandato Reuerendi admodum viri
 D. Ioannis Mendiætæ, Serenissimi Infantis Don
 Ferdinandi S. R. E. Card. & Archiep. Toletani
 Vicarij, perlegi, sic censui; nihil quod bonos san-
 ctosque mores offendat inesse, continere plurima
 ob quæ facultas possit concedi vt edatur, videri
 Auctorem non minùs feliciter, quàm qui dete-
 xit ignoratum tot sæculis Portum, inuenisse
 Portus antiquitatem & nomen, quod ingenia
 Eruditorum hactenus exercuit. Madriti III. Kal.
 Iul. M. DC. XXVI.

Lucas Torrius.

EL Doctor Don Iuan de Mandieta, Vicario Ge-
 neral de la villa de Madrid y su partido, &c.
 Hemos visto esta obra, y examinadola, y no ay en
 ella cosa contra nuestra santa Fè Catolica, ni buenas
 costumbres; y por lo que à Nos toca, se puede imprimir.
 Fecho en Madrid à primero de Julio de seiscientos y
 veinte y seys años.

El Doctor Juan de Mendieta.

Por su mandado,

Iuan Perogila, Notario.

CVM, teste Marco Tullio in Epistolis ad Atticum, Geographica sint res valdè difficiles ad explicandum; meritò laudandus est Io. Iac. Chiffletius, qui portum Iccium Iulij Cæsaris primus nobis indicauit, illustrauitque eruditissimo hocce Commentario: qui quoniam nihil contra bonos mores continet, publici iuris fieri optimo iure debet, & virorum Principum manibus teri. Sic cenſeo, Madriti iv. Kalendas Augusti, anni M. DC. XXVI.

*Julius Caesar Firuſinus,
Mathematicus Regius.*

SVMA DE LA LICENCIA.

TIENE licencia de los Señores del Consejo ſupremo de Caſtilla el Autor deſte libro, para poderle imprimir, como conſta del testimonio que dà Juan Loçano, Eſcriuano del Reynueſtro Señor, y Oficial mayor en el oficio de Marcos de Prado y Velasco Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad, en Madrid à ocho dias del mes de Agosto de mil y ſeiſientos y veinte y ſeys.

A P P R O B A T I O.

HVNC Ioan. Iac. Chiffletij de Iccio
Iulij Cæſaris Portu Commenta-
rium, nuper in Hispaniâ approbatum at-
que excuſum, digniſſimum cenſeo, qui
ab Auctore iam auctus & recensitus, in
Belgio recudatur, raræ atque utilis Anti-
quitatis Belgicæ noſcendæ ergô.

*P. Coens S.T.L. Canonicus,
& librorum Cenſor Ant-
nerpienſis.*

A N T V E R P I Æ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXVII.



